



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

I. Quia Sanctiſſima.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

CAPUT III.

Beatam dicunt Virginem omnes
Cælestes.

1. Quia Sanctissima.

HTA sancta est Virgo ut existens in utero plus habuerit de gratia, quam omnes in Cælo habeant Sancti, uti docet *Franciscus Mayron de Virgin. dist. 3. q. 1. c. 3.* Et *Vasq: tom: 2. in 3. p. d. 119. c. 3.* B. Virginem in instanti Conceptionis suæ, & deinceps plenum rationis usum in his saltem quæ ad Deum & virtutem pertinent habuisse; in super, sinè interruptione, sinè tepiditate, sinè defectu aliquo semper operatam. Quantum igitur collegit gratiæ, dicat *Joan. Euchaita 30. Jan. ode 5. in Menais.* Mortalis natura immortalē Angelicam superavit ad fastigium sanctitatis currendox in hac quippè præterea Virgo Angelos nulla carne gravatos post se reliquit. Certè ex eo solo quod Mater Dei effecta, asserit *S. Ildesons: serm. 1. de Assumpt: Christus eam Fons gratiæ, velut ignis ferrum decoxit, incanduit, ignivit. S. Abbas in Menais 15. Aug. Virginis meritorum excessus omnem creatam cogitandi facultatem longissimè superat. Vetus est S. Justini Martyris sensus orat. de pace.* Nullus mortalium, quamvis donorum multiplicitate præditus sit, Virgini valet coæquari. Et *S. Ephrem. orat. de Virg. Sublimior est Cælicolis, purior solis radio, & splendoribus, namquè, ut S. Anselmus de Concept. Viig. cap. 12.* Decebat Virginem ea puritate nitere, quâ major sub Deo nequeat intelligi. Unde juxta *S. Andr. Creten. de Assumpt: B. V.* Excepto DEO solo omnibus est altior.

Gerson de Nativit. acceptâ in fundamentû doctrinâ S. Dionysij de Angelis. Habet hoc Hierarchicus ordo secundum *Dionysium*, ut inferiorum virtutes sint in superioribus perfectiori modo repositæ. Quemadmodum sapientia perfectior in Seraphim, quàm in Cherubim. Est autem Maria super choros Angelorum per gratiam, & gloriam sublevata: erant igitur in ea perfectiones creaturarum irrationabilium, & rationabilium etiam Angelicarum eminentiori quodam modo reperibiles. Imò juxta *Greg. Mag. in 1. Reg. 1.* Maria meritorum verticem supra omnes Angelorum choros usque ad folium Deitatis evexit. *Theodoret. lib. 3. in cantic.* Maria inter tot hominum quæ salvantur animas, veluti electa columba, non solum pulchra penitens, & immaculata, sed etiam quæ puritate Cherubim, & Seraphim antecellit.

Et *Rupert. lib. 6. in cantio.* ita illum affatur. Quando Spiritus S. in te super-
venit, & Filium Virgo concepisti, tunc tu, & ex tunc pulchra facta es pulchritu-
dine Divinâ. *Hailgrinus in cap. 7. Cant. citatus à Navar. in elect. lib. 4. n. 425.* Non
minùs ait, meruit fundendo lac de uberibus suis ad Filij nutrimentum, quàm Mar-
tyres meruerunt fundendo sanguinem suum in Martyrio. Ex quo patet quantoperè
gratiam augebat per opera, etiam per illa, quæ aliàs per se non sunt meritoria.

Præclarè hanc Virginis sanctitatem videtur mihi figurâsse *Arca Noë*, quæ utiq;
juxta plerosque Patres hanc Virgem notabat *Gen. 7. Ferebatur super aquas.* *Apoc. 17.*
Aque populi sunt. Itaque super sanctitatem populorum ferebatur. *Christop. Jern.*
serm. de B. Virg. ita eidem loquitur. Gratiâ plena es, quia tecum est univ. fus gratia
thesaurus. Et *s. Athanasius explicatiùs orat. de S. Deip.* Spiritus S. in Virginem de-
scendit, cum omnibus suis essentialibus virtutibus, imbuens eam gratiâ, ut in omni-
bus grata esset, atque idcirco gratiâ plena cognominata est, eò quòd ab impletione
Spiritus S. omnibus gratijs abundaret.

Undè juxta *Autorem imperfecti operis in Matth. S. Joseph* maluisset credere sine
viro mulierem concipere posse quàm Mariam peccavisse. Nimirum ut ait *Petrus*
Dami: serm. de Assumpt: Quid sanctitatis? quid justitiæ? quid Religionis? & per-
fectionis singularis huic Virgini deesse potuit, quæ totius gloriæ Divinæ Charismate
plena fuit? In *Catechismo Græcano* appellatur *Deiparens intaminata, impolluta,*
immaculatissima, sanctissima, illibatissima, reverendissima.

2. Quia omnia dona quæ omnes habent Cælités,
accepit uberius.

Virginem S. alloquitur *Idiota cap. 2. contempl.* Non deficit tibi ô Virgo, puri-
tas Angelorum, non fides Patriarcharum, non scientia Prophetarum, non zelus Apo-
stolorum, non patientia Martyrum, non sobrietas Confessorum, non innocentia
& humilitas Virginum: in summa in nullo genere vacasti virtutum ô Virgo plus
quàm Beata. Quodcunque donum alicui Sanctorum unquam datum fuit, tibi non
fuit negatum, sed omnium sanctorum Privilegia omnia habes, in te congesta. *s. Bo-
navent. spec. cap. 3.* Omnia flumina intrant in Mare, dum omnia charismata intrant
in Mariam. Flumen enim gratiæ Angelorum intrat in Mariam, flumen Patriarcha-
rum, & Prophetarum intrat in Mariam, flumen gratiæ Apostolorum intrat in Mari-
am, flumen gratiæ Martyrum intrat in Mariam, flumen denique Confessorum, Vir-
ginum & Doctorum intrat in Mariam: Omnia flumina intrant in Mariam juxta
illud *Eccles. 1. Omnia flumina intrant in mare.*